

DE DIGNITATE ET ORDINE CASUUM NOMINIS SUBSTANTIUI

De dignitate casuum utilem quaestionem incohavit Lobeckius ad Soph. Aiacem u. 467, qui demonstrauit Graecos hoc ordine dicere *μόνος μόνω, μόνη μόνους, μόνος μόνου*, similiter Latinos casuum seriem disponere ueteres Adolphus Kiessling exposuit Mus. Rhen. XXIII 1868 p. 411, utramque doctrinam nos coniunximus in commentario Lucilii ad u. 969, ubi Lucilii uersum dubiae auctoritatis *solus uero soli* e. q. s. enarrauimus: ita enim et apud Graecos et apud ueteres Latinos ordo uerborum procedit, ut dicatur *ciuis ciui*, non dicatur *ciui ciuis*. De simili ambitione inter genetium et ablatium casus Latinos pauca addi uolo ad illam quaestionem, dum speramus utile fore, quod obseruauerimus, etiam in horum casuum simultate usque ad aetatem ingruentis barbariei praecedere genetium, i. e. eum casum, qui etiam in ludo et in arte grammatica ablatiuo prior et nominetur et collocetur. Atque exordiendum est a loco legis XII tabularum, qui recte seruatus est apud Gellium XX 1, 45: *Aeris confessi rebusque iure iudicatis triginta dies iusti sunt*. Quem in Ilbergi analibus anni 1909 uol. XXIII p. 448 ita diximus esse intelligendum, ut decemuiris illo saeculo et genetium absolutum similiter atque Graecis et ablatium absolutum, sicuti postea solus barbaris ubique barbarus casus, adhiberi licuerit: eisdem legum scriptoribus placuerit uariatio casuum, ut una et genetium et ablatium absolutum illo loco posuerint. Neque qui tradita uerba mutarint me iudice audiendi neque omnia quae illic exposui hic erunt denuo exponenda. Id potius supplendum, quod dixi, uariari l. s. s. constructionem absolutam eodem modo, quo genetius et ablatius qualitatis una ponuntur in celeberrimo Sallustii de Magno Pompeio testimonio, quem historicus *oris probi, animo inuerecundo* scripserat (Sueton. de gramm. 15).

Potiuimus enim ex eis, quae Eduardus Wölfflin in archiu. lex. Lat. XI 1900 p. 469 seqq. proposuit exemplis utriusque casus, compluria exempla demonstrare, quibus genetius quali-

tatis cum ablatiuo legebatur coniunctus, sed ita semper collocatus, ut genetiuus antecederet, sequeretur ablatiuus. Quae similitudo summi uidetur esse momenti, qua reiciatur, si quis *rebusque iure iudicatis* datiuum esse censeat. Nullo pacto enim poterit demonstrari datiuo similem esse affinitatem cum genetiuo in consuetudine linguae Latinae qualem uidemus esse ablatiuo et coniunctione sollemni et collocatione. Praeterea in hac sententia bimembri in priore membro *confessi*, posteriore *iudicatis* non adiectiua usurpari, sicut in reliquis quae tractabimus exemplis factum est, sed participia, id ipsum euincit absolutam esse sententiae constructionem. Casu enim fieri nequit, utrumque attributum participii passiu formam exhibere: neque tamen formam *confessi* passiuo sensu intellegi posse hic demonstrandum erit pluribus. Variari autem in eodem enuntiato genetiuum cum datiuo participii id et inauditum et absurdum est. Denique id addendum est, in eiusmodi sententiis bimembribus nihil differre, sintne coniuncta coniunctione *que* an asyndeta: quod item ex exemplorum catalogo qui sequitur cuius facile apparet, ita tamen, ut asyndeton figura recentioris sit aevi et posterioris. In ablatiuis absolutis eadem stat sententia. Nam asyndeta eius generis proferre superuacaneum erit, *que* particula coniunctum satis est ex Plauto proponere hoc unum exemplum Menaech. 469: *confecto prandio Vinoque expoto, parasito excluso foras*. De affinitate quae intercedit inter ablatiuum absolutum et ablatiuum qualitatis actum est in Kühneri *Ausf. Sprachl.* II 1 (1912) p. 771, 5, 4: aegre diiudicari utrius generis sit hoc quod est apud Naenium (fr. 4): *uxores . . . exhibant capitibus opertis*. Itaque semel prisca Latinitate quod nihil mirandum est ablatiuus absolutus cum genetiuo absoluto coniunctus inuenitur, saepius quidem sed tamen raro inuenitur ablatiuus qualitatis cum genetiuo eiusdem generis usque ad II p. Chr. saeculum, sed ita ut secundo loco sit, hoc modo:

I. Vetustiora exempla coniunctione copulatiua coniuncta:

Lex XII tabularum apud Gell. XX 1, 45: *aeris confessi rebusque iure iudicatis*.

Plaut. *Vidul.* 42 G. S.: *cibique minimi maxumaque industria*.

Cic. *de legg.* III 45: *uir magni ingenii summaque prudentia*.

Nepos *Datam.* 3, 1: *hominem maximi corporis terribilique facie*.

II. Inde a Sallustio asyndeta:

Sallust. ap. Sueton. de gramm. 15: quod eum oris probi, animo inuerecundo scripsisset.

Liu. XXXI 12, 6: incertus infans natus . . . alter sedecim iam annorum, item ambiguo sexu inuentus.

Plin. n. h. XII 56: Iuba . . . tradit contorti esse caudicis, ramis aceris maxime Pontici.

XXV 74: sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellant, simplici caule, minimis foliis: floris copiosi, erumpentis cum uua maturescit, odore non iniucundo. *Ita distinguendum, prior pars sententiae de planta cessante, altera de florente et fragrante. Neque in reliquis exemplis, quae protulit Eduardus Wölfflin l. s. s. p. 479, hanc inuerti casuum collocationem inuenias, sed aut interpunctione erratum est aut dicola non sunt: quale est Plinii XXXI 47: Terra uero ipsa promittit candicantibus maculis, aut tota glauci coloris.*

VII 24: Choromandarum gentem uocat Tauron siluestrem sine uoce: stridoris horrendi, hirtis corporibus, oculis glaucis, dentibus caninis.

Tacit. hist. IV 15: Erat in Canninefatibus stolidae audaciae Brinno, claritate natalium insigni.

ann. XII 2 extr.: . . . et ne femina expertae fecunditatis, integra iuuenta, claritudinem Caesarum aliam in domum ferret.

XIII 54 extr.: quod comiter a uisentibus exceptum quasi impetus antiqui et bona aemulatione.

Quo loco addi particulam *et* maluit scriptor, quod asyndeton hoc loco admodum frigeat, si adhibeatur.

Itaque his exemplis, quae aut ipse collegi aut ex copiis ab Eduardo Wölfflin l. s. s. collectis selegi, semotis falsis lectionibus aut dubiis, hoc efficitur, inde ab aetate legis XII tabularum usque ad Cornelii Taciti tempora, cum una collocantur in locutione bimembri genetius et ablatius, praecedere illum, secundo loco addi ablatium. Inde a saeculo Apulei etiam tunc uetustam sermonis Latini consuetudinem obseruari, parum est probabile, cum apud hunc extet malus senarius Latinus, qui exit in uerba *germinent sata* metam. IX 8, qua de re egimus in libro de uocabulis molossicis et baccheacis p. 53, postea saeculo Auieni foedo cum accentu

feriatur uocabulum *pōpulus* medium or. mar. 553, item *adicit* 122, *agere* 368, *capita* 606 cum abusu libertatis pedis primi. Itaque illis saeculis sensum et indolem antiquae syntaxeos Latinae euanescere consentaneum erit. Et profecto contra ordinem illum casuum antiquis scriptoribus legitimum legitur primum apud Gellium XVII 9, 7: Surculi duo erant teretes, oblonguli, pari crassamento eiusdemque longitudinis; III 16, 4: Sed . . . Caecilius cum faceret eodem nomine et eiusdem argumenti comoediam; XIX 9, 2: Iulianus rhetor, docendis publice iuuenibus magister, Hispano ore florentisque homo facundiae et rerum litterarumque ueterum peritus . . . Contra secutus esse uidetur Gellius ueterem scriptorem, qui ablatiuum posteriore loco uoluerit collocari XIV 2, 6: illum autem . . . hominem esse non bonae rei uitaeque turpi et sordida e. q. s., ubi bonae rei datiuum esse non recte iudicant: conf. Wölfflin l. s. s. p. 485. Coniunctiones autem copulatiuae in his exemplis additae sunt omnibus. Reliqua eiusdem generis exempla habes eodem loco s. s. proposita: nos illa non iam morabimur.

Additamentis tamen et interpretatione dicola illa quasi tolluntur aut interpunctione nonnumquam mutata ita mutantur, ut tollatur inusitata collocatio, uelut Tacit. ann. IV 61: . . . excessere . . . et Q. Haterius familia senatoria, eloquentiae quoad uixit celebratae; VI 15: . . . cetera equestri familia erat, mitis ingenio et comptae facundiae; V 1 Rubellio et Fufio consulibus . . . Augusta mortem obiit aetate extrema, nobilitatis per Claudiam familiam et adoptione Liuiorum Iuliorumque clarissimae. Nam illic quod legitur *excessere* . . . Q. *Haterius familia senatoria* id a sequentibus diiungendum erit, neque aliter accipiendum atque VI 49: *Sex. Papinius consulari familia repentinum . . . exitum delegit*. Talia uel disiuncta cola uel nonnihil uerbis additis aucta hanc quaestionem non attingunt: ueluti quae Cicero scribit in epist. IV 8, 1: neque monere te audeo, praestanti prudentia uirum, nec confirmare maximi animi hominem unumque fortissimum, consolari uero nullo modo.

Itaque, sicuti principio huius disputationis intelleximus, principem locum casuum tenet nominatiuus et ordine uerborum et collocatione. Genetiuius tamen numquam ita contemni se passus est, ut sexto casui cedat, sed semper usque ad saeculum p. Chr. II antecedit ille ablatiuum. Atque eundem ordinem casuum, quem nos sequimur in enumeratione,

iam apud Graecos aetate Alexandrina probatum fuisse satis constat: qua de re egere E. Lobel *Class. Quart.* 1928 XXII p. 115 Ernestus Sittig, *Das Alter der Anordnung unserer Kasus e. q. s.* Stuttgart 1931. Atque de ordine casuum naturali poterant antiquitus edoceri, qui donariorum titulos in aedibus sacris sedulo legebant. Veluti I. G. I (1924) 527: *Ἐρμόλυκος Διειρέφους ἀπαρχήν* similia qui legebant in marmore Athenis in arce posito, ei intellegebant nominatiuum esse ducem casuum examinis, secundo loco subsequi genetiuum, utroque casu posteriorem esse loco casum accusatiuum. Sed de datiu dignitate est quod dubites: nam l. s. 552 legitur: *Ἀριστιών καὶ Πασίας ἀνεθέτην τῇ Ἀθηναίᾳ ἀπαρχήν*, sed 579: *Ἐόρτιος καὶ Ὀσιάδης ἀνεθέτην ἀπαρχήν τὰθηνάα*, Delphis *Χῖου Ἀπόλλωνι τὸν βωμόν* (in *Sylloge Dittenbergeri* ed. III 19), in eodem titulo uariari miramur I. G. I 620: *Λυσίας ἀνέθηκεν Ἀθηναίᾳ ἀπαρχήν*, *Εὐαρχίς ἀνέθηκεν δεκάτην Ἀθηναίᾳ*. Grammatici igitur aegre potuerunt demonstrare merito datiuum priorem esse loco, accusatiuum posteriorem: ueluti G. G. IV I p. 112, 19: *ἡ δὲ δοτικὴ προτέτακται τῆς αἰτιατικῆς, ἐπειδὴ καὶ αὐτὴ ἔστιν ὅτε ἐπιδέχεται σύνταξιν πρὸς κτῆμα καταχρηστικῶς, ὡς ἐπὶ τοῦ (Ξ 459) Αἴαντι δὲ μάλιστα δαίφρονοι θυμὸν ὄρωνεν, ἀπὲρ τοῦ Αἴαντος . . . ἡ δὲ αἰτιατικὴ οὐδὲ καταχρηστικῶς παραλαμβάνεται πρὸς κτῆμα, εἰ μὴ πάνυ σπανίως, ὡς ἐπὶ τοῦ (Ω 58) γυναικὰ τε θήσατο μαζόν, ἀπὲρ τοῦ γυναικὸς μαζόν κτλ.* Similes accusatiui cum legantur *Φ 37 σ 396*, spernitur hoc argumentum a grammatico G. G. III p. 549, 21, magis dialectice quam grammatice adiungitur, quod *αἱ σχέσεις αἱ τοπικαὶ τρεῖς εἰσιν, ἡ ἐκ τόπου, ἡ ἐν τόπῳ, ἡ εἰς τόπον*, similes tribus illis casibus, qui hoc ordine sint probandi. Poterant etiam epistularum exordia ad hanc doctrinam commendandam grammatici adferre, quibus legitur . . . *Δαρείος ὁ Ὑστάσιω Γαδάτα δούλω τάδε λέγει* [*Dittenb. Syllog. (ed. III) I 22*], item apud Latinos: Cicero Appio imp. s. d., etiamsi Ciceronis epistularum III 1, cui hoc ordine uerborum inscribitur, sequatur epistula 2 et 3, quibus inscribatur inuerso ordine: s. d. Appio Pulchro. Sed Cleocharis oratoris puerile artificium quod seruauit rhetor R. G. III p. 97 Sp. in capite de polyptoto demonstrat, obtinuisse ordinem, qui hodieque in scholis decantatur casuum, aetate Alexandrina. Apud Latinos item pueriliter in casuum serie lusit scholiasta Terentii serae aetatis, qui in praefatione Andriae (I p. 39 W.) satis inepte singula capitula incipit:

Primus actus . . . Secundi actus . . . Tertio actui . . . Quartum actum . . . In quinto actu . . ., similiter in praefatione Hecyrae (II p. 191) et Phormionis (II p. 348): qui, ne insanire uideretur, uocatio omnino abstinuit in hac enumeratione.

Eandem figuram, quae polyptoton appellatur, enarrauit aetate Sullana et exemplis demonstraui rhetor ille Latinus, cuius doctrinam exhibet rhetorica ad C. Herennium IV, 22, 31. Posteriore loco proposuit exemplum Latinae originis, quo plura nomina in commutatione casuum uoluntantur. Quo in exemplo casus nullo certo ordine adhibito se excipiunt hoc modo: accusatiuus, datiuus, accusatiuus, uocatiuus, datiuus. Nomina Ti. et C. Gracchorum, Saturnini, Drusi, Sulpicii, euincunt Romae hoc natum et factum esse exemplum. Sed priore loco unius nominis casus IV scriptor ille in panegyricum regis Alexandri Macedonis contulit, quem in Graeca urbe compositum esse manifestum est, hoc modo: Alexander Macedo summo labore animum ad uirtutem a pueritia confirmauit. Alexandri uirtutes per orbem terrae cum laude et gloria uulgatae sunt. Alexandrum omnes maxime metuerant, idem plurimum dilexerunt. Alexandro si uita data longior esset, trans Oceanum Macedonum transuolassent sarisae. Tractantur deinceps nominatiuus, genetiuus, accusatiuus, datiuus, negligitur uocatiuus iudicio sano et sobrio auctoris Graeci, qui noluerit debacchari exclamationibus, item negligitur sextus casus. In datiuo clausula laudationis ea re indicatur, quod is casus maxima omnium copia uerborum est exornatus et splendore. Huic rhetori igitur nondum persuasum erat illis quae s. s. s. argumentis, tertio loco datiuum, quarto accusatiuum utique collocari oportere in casuum dispositione.

Bonnae.

Fridericus Marx.